

I. *Pattalorinchintæ intantum.*) Hęc hæresis Monachisini & operistarum fruticatio est, & solitudinis eius, quam ista hominum natio secuta est, atque amplexa, de qua meminit etiam Hierony. in Proœmio lib. 2. ad Gal. Nam vti se à communi hominum cœtu, tanquam fere bestię, monachi, subduxerunt, humanam mentem & naturam exuentes: ita varios errores genuerunt, multaque non tantum paradoxa instituerunt, sed ab humanitate ipsa & benevolentia, quæ inter omnes homines esse debet, aliena probarunt, quod à Deo in sensum reprehobum sunt traditi. Nec affirmari potest, utrum Monachi hæreticorum variorum patriarchæ fuerint: an potius illi hæretici Monachorum patriarchæ & parentes. Pattalorinchitæ ex huiusmodi lustris & cauernis prodiere: qui & Silentiarii à silentio quod profitentur dici possunt, & à Cassiano libro 4. De institut. renuntiant. cap. 17. Tabennesiote Monachi yidentur appellati, quod in regione Tabennæa (est autem Tabenne oppidum in extremis Ægypti & Cyrenaicæ regionis finibus situm, quod Plinius videtur Tabidium appellasse, & Garamantis attribuisse lib. 5. cap. 5. non multum deceptus: quia, vt est in Æthici Cosmographia nuper D. Iosia Simleri diligentia luce donata, & ab inferis reuocata, Cyrenaica regio etiam Garamantas habet) primùm hoc vitæ genus fuerit institutum & receptum. Id quod etiam Sozomeni autoritate confirmatur lib. 6. Histor. Ecclesiast. ca. 28. Ex quo eodem loco appetet hanc hæresin primùm in Ægyptiacis monasteriis natam (nam illius præcipue regionis monachos laudat Cassianus, quod umbrarum more fuerint silentes, & ἀλαλοι) circa ea ipsa